Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

ſtantes reſpiciat. Et cum nihil velit ille, niſi ſumma cum ratione, nihilque præter eius voluntatem extiterit: dicant igitur Aduerſarij, quænam aliæ rationes Deo fuerint aptandarum virium, etc. cùm præter quantitates nihil eſſet? Quòd ſi, dum nihil inueniunt, ad imperſcrutabiles Conditricis Sapientiæ vires confugiant: habeant ſibi ſanè hanc inquirendi temperantiam, illaque cum pietatis opinione fruantur: nos verò patiantur cauſas ex quantitatibus veriſimiles reddere: dummodò nihil indignum tanto dicamus Opifice. Nulla igitur vinctus religione, pergo ad inueſtigationem Zodiaci.

Ac initiò exiſtimo veriſimiliorem corporum ſitum excogitari non poſſe, quàm cùm Cubus maxima figurarum inſeratur orbi quomodocunque, nam in circulo nullum eſt initium. Oportet autem principia ſine ratione conſtituere, ne infinitus fiat regreſſus; & vt aliquando tranſitum habeamus ab infinita potentia ad finitum actum. Iam igitur vna facierum cenſeatur pro baſi. Pyramis igitur inſerenda cubo mediante orbe Iouio, debet baſin baſi cubi παράλληλον tenere: & Dedocaedron pyramidis baſi. Aliter ferunt ſecundariorum proprietates, vt vidimus. Erigendum igitur Icoſaedron intra Dodecaedron, ita vt diagonius illius fiat vtriq; oppoſitarum baſium dodecaedron perpendicularis in centris. Eodem pacto ſuſpendendum erit Octaedron minima figurarum, intra Icoſaedron, ita vt acta recta veniat, 1. per centrum baſis in cubo, 2. per centrum baſis tetraedricæ, 3. per centrum quinque anguli Dodecaedrici, 4. per angulum Icoſaedri, 5. per angulum octaedri, 6. per centrum mundi, & corpus ſolare, & porrò ſimilibus interſtitijs per oppoſitos, 7. Octaedri, 8. Icoſaedri angulos, 9. Dodecaedrici plani centrum, 10. Tetraedri angulum, 11. cubici plani centrum. Maioris lucis cauſa relego te ad tabellam capitis ſecundi vbi omnia corpora ad hunc modum expreſſa ſunt. Quibus ita conſtitutis, non tantùm apparens in Octaedro quadratum, æqualiter à dictis duobus angulis remotum, ſi producatur circumcirca; omnes figuras, atque adeò totum mundum in bina diuidet æqualia: ſed etiam omnium laterum, quæ quis inter dictos angulos & centra, media cenſere poteſt, eorum inquam omnium ſi regulariter ponantur, ſectiones mutuæ, quæ proſpicienti ex centro appa-